

M. IO. CHRISTIANI RITTERI

QVESN. CIZ.

AD SACRA SERB. SACERD. ET SOC. LATIN.
IENENS. MEMBR.

COMMENTATIO

DE

IVREIVR ANDO
DOLOSE ELICITO
NON SERVANDO

AD IOS. IX, 3...^{27.}

Oder:

Ob ein mit List abgelockter Eidschwur
zu halten sey?



IENAE EX OFFICINA RITTERIANA

AN. CIC 1550 XLII.

Diss. jur. civ.

288,26

J. W. v. G. Fag. W. B.

Diss. Jur. 288,26

QUTTINUS
OCHIARUS
OF DODD
CIRCA



ILLVSTRISSIMIS
ZI COMITIBVS AC DOMINIS
DOMINO
IVLIO GEBHARDO
AC
DOMINO
GOTTHILF ADOLPHO
S. R. I. COMITIBVS
AB HOYMB
DYNASTIS IN DROYSIG SLAVEN-
ZIZ ALTHAMMER IACOB SWALDA LEBOV-
SCHIZ SKOELEN NEBRA GLEINA BIRKIGT LOE-
BICHAU SPREMBERG NEVSALZ DVIRRENHEN-
NERSDORF GROSHELMSDORF QVESNIZ
ETC. ETC.

DOMINIS SVIS CLEMENTISSIMIS

IN SP E M
PRINCIPIS PATRIA E AC SALVTIS
PVBLICAE
EFFLORESCENTIBVS
SPLENDIDISSIMAE GENTIS
HOYMBIANAE
ORNAMENTIS
CIVIVM AC MVSARVM
DELICIIS

PATRONIS SVIS SVMMO OPERE
COLENDIS

D. D. D.

A V C T O R.

ILLVSTRISSIMI COMITES DOMINI CLEMENTISSIMI,



I apud eos, qui præcipiunt, quem-
admodum honesti et decori offi-
cia constare sibi semper debeant,
hoc habetur primum facile, et
antiquissimum, vt illis, a quibus
in nos profecta sint beneficia,
mentem gratam et piam omni loco, omnique
tempore probemus; ego certe me eum esse, intel-
lico, qui summae HOYMBIANAE gentis patroci-
nio dignus haberri haud possim, nisi gratissimum,
obstrictissimumque animum, quo vos, ILLV-

X 3

STRIS-

STRISIMI COMITES, veneror, omnibus esse
velim testatum. Quoties singula, eaque vere
paterna beneficiorum genera, quibus parentes
mei, quum adhuc inter mortales essent, ita af-
fecti sunt atque ornati, vt sub fide et clientela
HOYMBIANA per XL. certe annorum spatum, et
quod excurrit, bene agere aetatem, licuerit, men-
te mea recolo, toties ad singularem in vos pie-
tatem me trahit impellitque eorum recordatio.
Eandem clementiam, et integrum mihi conser-
uatam et auctam veneror. Iam adolescenti
mihi id felicitatis obtigit, vt in Academia Lip-
sensi in literarum sacrarum studia, bonis HOY-
MBIANIS auspiciis, incumbere recte potuerim.
Quare cum tanta sint, tamque præclara paterni
amoris documenta, vt aliena commendatione
non indigeant; neque ego is sim, qui præconium
VOBIS dicere, aut mihi persuadere velim, eam
esse virium mearum facultatem, vt dignas VOBIS
pro singulari in me voluntate gratias referre,
hoc qualicunque memoris gratique animi mo-
numento, possit; tantum abest, vt ea sit mea
arrogantia, vt potius nullo vnquam tempore iu-
stas VOBIS pro maximis, quibus me auctum vi-
deo, beneficiis, gratias a me posse persolui, intel-
ligam. Quod si tamen nihil in eo peccasse, nec
quicquam, quod ab officio boni ciuis discrepet,
is

is commisso, putetur, qui, si gratias referre non possit, habeat certe; omnino clementia VESTRA prorsus singularis, qua gratæ mentis significatio-nes, licet ad nominis splendorem haud satis sint accommodatae, personarumque dignitate parum dignæ, ex sincero modo candidoque proficiscan-tur animo, adspernari non soletis, adeo me bene sperare iussit, vt primitias hæc ingenii leuissi-mas pie VOBIS offerre, atque iisdem memorem beneficiorum, gratamque mentem probare nul-lus dubitauerim, sperans, fore, vt eas pro ea, quæ VOBIS est propria et insita quasi clementia bene-uolentiaque, sitis accepturi. Tenuem autem et inopem scriptionem meam, quam illustrissimis summisque VESTRIS NOMINIBVS consecrare sum ausus, si non prorsus inutilem VESTRIQUE personis indignam iudicaueritis; tanto opere hoc VESTRVM patrocinium ad vos venerandos, omnibusque modis suscipiendos, me incitabit, quanto maiori studio in eo enitar, quam maxi-me potero, vt beneficia in me meosque collata apud clientem haud ingratum collocata esse, omnis perspiciat posteritas. Deum autem im-mortalem supplex veneror atque obtestor, vt VOS, ILLVSTRISSIMI COMITES, VESTRAMQUE genetricem optimam, pie demisseque mihi co-lendam Dominam, omnemque gentem HOYM-

BIANAM

BIANAM splendissimam omnis felicitatis genere
remuneret, exornet, cumulet! Præstet vos Deus
O. M. nouis semper auctos viribus! Præstet vos
Principi, patriæ et saluti publicæ ornamenta
probatissima; summæ genti VESTRAE solatia;
Ciuibus ac Musis delicia; et denique mihi, clien-
ti obstrictissimo Patronos per omnem ætatem,
annorumque seriem longissimam, saluos, sospiti-
tes, incolumes! Quam votorum supplicum ex-
spectationem, ut etexplere et superare vos Deus
iubeat, ex animi deuotissimi religione cupid ar-
dentissime, maximeque exoptat

ILLVSTRISSIMORVM VESTRORVM NOMINVM

SERBÆ AD EISENBERGAM
D. XII. KAL. IVNII,
A. R. S. CICLOCC XLIL

L. M. Q. addictus obsequentissimus-
que cliens

IO. CHRISTIANVS RITTER.



PRO O E M I V M.



ON desunt, fateor, Amice Lector, quæ me, expositurum non nihil de iure iurando, auocare ab instituto ac deterrere potuerint. Sunt horum facile potiora, genus scripturæ leue, & ingenii tenuitas, et argumenti dignitas, et eruditorum, qui de eodem præclare scripserunt, copia. Verum fac esse omnia. Ducere me doctiores, more ditiorum olim Romanorum, magnum creatumque bouem in capitolia, facile patior; mihi vero cum pauperioribus farre pio & saliente mica penates mollire, liceat. Periclitari enim vires, quid pro sua quisque parte ferre poscit, cum ab eo, quod fieri recte potest, haud sit alienum; in eo certe nihil peccasse, putem, qui legere spicas quasi, post feliores messores, voluerim. Iuris iurandi rationem adeo late patere, ut fere doctissimum optimi quique in alias atque alias abierint sententias, intellexi. De quo præclarum est, quod est apud **S T R Y K I V M***: *Si vlla res est, quæ caste et sobrie tractanda,*

* **S T R Y K I V S** Diss. de Iure Principis circa iuram. in Prooem.

da, doctrina certe de iuramentis est, cum illa ex principiis al-
 tioribus fluat, atque internum conscientiae forum ingrediatur.
 Hinc sane nec leuiter, nec nimis superstitiose agendum est, vt
 salua ubique sit conscientia. Dolendum autem, hanc materiam
 a Moralistis, vt vocantur, tot falsis interpretationibus, et va-
 riis figuris adeo corruptam esse, vt vix verum a falso nunc
 separare liceat. Omnis igitur de iureiurando doctrina
 cum tanta sit, tamque diffusa, vt longum mihi foret di-
 cere, si persequi vellem, quæ ad id pertinent omnia;
 id tantum disputabimus, & de eo inquiremus vel ma-
 xime, vt probemus, scripturæ S. exemplo afferri idem
 posse, quod ex iurisiurandi natura efficitur & cogitur,
 scilicet, iuriurandum dolo elicitum, non esse seruan-
 dum. Ansam meditationis dedit iuriurandum illud Is-
 raelitarum, a Gibeonitis dolose extortum. Etiam huic
 loco explicando, de iureiurando Iosuæ, vt plerisque
 dicitur, nonnullos docte & commode impendisse ope-
 ram *, non sum nescius, sed quæ sit mea hac de re sen-
 tentia, videbis. Sis modo, id quod abs te, amice le-
 tor, vehementer peto, si quid peccauerim, aut tibi se-
 meus labor non omni ex parte probet, æquior de eo
 existimator, eumque iudices, non qui esse possit; sed
 qui sit. Ego autem Deum O. M. ex animo veneror,
 vt conatus hosce meos, qualescunque sint, in sui glo-
 riam fructuosos esse iubeat!

CONSPE-

* MATTH. ZIMMERMANN in Analect. p. m. 310. C. A. REDEL
 disp. pro l. de obligatione iuramenti dolosi, Lips. 1691. M. ANDR.
 RITTERS Lubec. Exercit. Mor. de iuram. quæ falso habentur
 non oblig Lips. 1701. M. IOH. LVD. SCHMIDT de Iuram Iosuæ
 Gib. præst. ad Ios IX. Lips. 1702. D. FR. BALD. Cas. Consc.
 L. II. Cap. IX. Cas. XIV. BECHMANN Theol. Consc. Critici
 Anglic. EVDDEVVS, KONGEHL, etc.



C O N S P E C T V S.

De iure iurando doloso generatim. Iurisiurandi fons, ius naturæ. Homo ad societatem natus. Societas non est sese legibus. Leges sunt vel iuris naturæ vel ciuilis. Iure naturæ & ciuili obligatus bono. Non suas quisque partes tuocur. Ad officia præstanda vis adhibenda. Remedii sunt vel externa vel internum. Externis non sufficientibus ad internum confugiatur. Remedium internum iuriurandum suppeditat. Iurisiurandi descriptio. Diversio eiusdem & per quem iurari possit. Eius finis & attributa. Iuriurandum dolosum nullius est religionis. Dolo extortum est iuriurandum Israélitarum. Potiora eins capita. Dolus Gibeonitarum. Fæderis conditiones. Conditionum vitia. Iosuæ integritas. Obiectio. Objectionis dilutio. Nostræ sententiæ probatio. Ulterior ordo. Fæderis conditiones erga Gibeonitas. Conditionum infirmatio. Fæderis & iurisiurandi infraactio. Dubiorum additio. Dubium primum cum responsione. Dub. II. III. IIII. et V. cum responsionibus. Conclusio.

TANTA plerumque vis est opinionum, quæ a maioribus hæreditate quasi acceptæ, consuetudine increbuerunt ad imitationem, vt mens, erroris non nunquam improuida, infici eis facile, atque ita imbui soleat, vt per omnem deinde ætatem aures veritati clausæ videantur. Quum diu olim, multumque, re litteraria mala affecta, ambigeretur de Antipodibus, quorum tamen certitudo experimentis nunc ita cognita est, vt argumentis non inuestigetur amplius; *κυρια δοξα* & præiudicata illa, animisque penitus infixa opinio, adeo confidenter veritati præripiebat lauream, vt, qui circumfundi terræ vndique homines, eosdemque contiersis inter se pedibus stare, crederent, damnarentur erroris.*

A 2 Eius-

* Seculo octavo p. C. N. præter vulgi mentem, et maxime contra
AVGVSTINI sententiam, doctrinam de Antipodibus inflaurasse
videtur VERGILIVS quidam, vir in scientiis Mathematicis

Eiusdemque fere generis videtur esse vulgaris illa, ac perulgata de iureiurando sententia, qua volunt, omne omnino iusiurandum esse seruandum. * Ego certe, qui, mea quidem sententia, elicere idem neque ex iuris iurandi natura, neque ex aliis rationibus possum, in contrariam partem afferri posse, quæ sint aut grauiora, aut æque grauia, nihil dubito. ** Quæ cum ita sint, id mihi hoc loco agendum suscepit vel maxime, ut, quantum fieri poterit, planum faciam, Israelitas, quos, astutia & fraude Gibeonitarum deceptos, fœdus cum Gibeonitis fecisse, iureque iurando id confirmasse, refert Iosua, vel sacer huius libri scriptor, quisquis sit, *** iusiur-

ac philosophicis versatior, quam id temporis ferebant mores, sed eandem ob caussam sacerdotali dignitate priuatus est. Quæ sit LACTANTII de Antipodibus sententia vid. L. IIII, c. 24. Ciceronis temporibus iam fuisse de Antipodibus disputatum, ex ipsis CICERONIS verbis liquet: Nonne dicitis esse e regione nobis, e contraria parte terræ, qui aduersis pedibus stent contra nostra vestigia, quos Antipodes vocatis. Acad. Quæst. II. c. 39.

* Ex inueterata illa Canonistarum, quos dicunt, regula: Omnia iuramenta sunt seruanda, nata est ea GROTI sententia, quam certe miror: Etiamsi personæ nihil aut minus debeatur, si tamen iuramentum intercesserit, deo fides est præstanta. Iur. B. et P. Lib. 2. c. 13. 16.

** Superfluum esset repetere, quæ doctæ et fuse iam pridem protulerunt viri doctissimi, quorum facile princeps PFENDORFF. de Iure Nat. et G. L. 4. C. 2. 6.

*** Volunt quidem, id quod satis notum, Talmudici, cumque illis BONFRERIVS, SIXTVS Senensis, HVETIVS, ALTINGIVS, SPANHEMIUS, HEIDEGGERVS, aliqui, Iosuam scriptorem fuisse libri, qui nobis Iosuæ liber dicitur; in contrariam tamen partem disputationem accuratius, commodeque docuerunt MASIVS, GROTIUS, CALOVIVS, CLERICVS, aliqui critici recentiores, inque his princeps facile ο πάντων I. G. CARPOZOVIVS Introd. ad Libb. Bibl. V. T. Ep. IX. §. 5.

p. m.

iusiurandum illud Gibeonitis præstitum, neque seruasse, neque in eo, quod infregerint idem, quicquam peccasse.*

Varia hic de iurisiurandi appellatione, antiquitate & ritibus præmittere, neque necesse visum est, cum in iis inquirendis viri eruditissimi toti fere fuerint, et nos post Homerum Iliada scribere videremur, ** neque

A 3 insti-

p. m. 154. multas ob causas, quarum non minima, quod occurrit in libro eo et nomina propria, et acta, ætate Iosuæ recentiora, e. g. Cap. XV. 13-19. XVI. 10. XIX. 47. XXIV. 29. sqq. fieri haud facile posse, ut libri huius scriptor iure suo habeat Iosua.

* Hanc meam de iureiurando hocce sententiam probaturus, vereor, ne leuior aut ad audendum projectior videar, qui a plurimorum virorum maxime conspicuorum sententiis recedere, nullus dubitauerim. Vna enim fere omnium voce applaudunt, quantum innotuit, atque ego quidem scio, idem, quod disputamus, iusiurandum, neque infraactum esse, neque infirmari iure potuisse. Ut plurimos taceam, audiamus Ienensium Theologorum ordinem cel. in responso ad 2. Sam. XXI, 6. *Iosua war von den Gibeonitern betrogen, gleichwohl hielt er ihnen den Eyd, den er ihnen im Nahmen des Herrn geschworen batte. Und ist sonderlich in acht zu nehmen, daß Gott der Herr Sauls Nachkommen darum gestrafft, daß Saul diesen Eyd und Bündniß übertreten.* Confer VELTHEMII Diss. de iuramentis diuinis et humanis, Ien 1684. p. m. 32. Tantum tamen abest, ut aut cupidine lacefendi famam cuiusquam incitatus, aut perturbati animi impetu abreptus, idem negaturus sim, ut potius studio veritatis ductus, eo deuenerim.

** IEREM. SETSERI de iuramentis libri V. in quibus de vniuersa iurisiurandi materia copiose exponitur. 1707. MAIMONIDES liber de iuramentis cum quinque aliis a 10. VLMANNO latine et 10. FRIED. MIEGIO theol. Pol. cum vers. et notis 1672. vid. Cel. WOLFFII Bibl. hebr. T. I. et III. item FABRICII Bibliograph. antiquar. c. XII. §. 7. 10. NICOLAI Diatribe de iuramento hebr. Græc. Roman. aliorumque populorum. 1700. IAC. LYDII Diss. posthumade iuramento cum eiusd. Syntagm. S. de re militari, cura SAL. VAN TILL, prodiit Dordrac. 1698.

instituti permittit ratio. Ne igitur longius abeamus, ad fontes potius accedamus, ex quibus posse deduci, quam quærimus, iurisiurandi naturam eiusque religionem putauimus. Ducere autem iuriurandum ortum ex iure naturæ, adeo clarum est atque perspectum, ut inter optimos quosque satis superque constet. Positum sit igitur in primis, ut post magis intelligetur.

Hominem enim non sibi solum natum esse, sapientissimorum omnium iudicio, atque adeo certissimis rationibus probatur. Quo enim accuratius in nos inquirimus, eo magis ducimur ac trahimur ad colendam cum aliis societatem. Namque aliorum opera vti, vt com mode feliciterque viuamus, eorundem vero utilitati ac commodo minus diligenter inseruire velle, ab homine alienum est. Aliorum autem curæ, operæ, facultatumque necessitas tanto facilius perspicitur, quanto magis obruti sumus miseriis, si aliorum destituimur auxilio, vt recte **B V D D E V S** pluribus differit.* Ex quo præclarum illud **T V L L I I:**** Quo judice, non temere quisquam reperiatur, quin magna felicitatis parte, modo cum aliis esse, doloremque non minus, quam lætitiam cum iis communicare liceat, carere malit, quam cum infinita etiam voluptatem abundantia vitam agere in solitudine.

Secum tamen inire societatem solus non potest, sed adesse debent, in quos officia conferat. Itemque si vitæ societatem nec deferere velimus, nec dirimere, sciamus necesse est, quid studii, quid operæ, quid facultatum conferre quisque debeat; quidque cauendum sit in omni genere, ne cvidam iniuriam faciamus. Quæ

* **I O. F R. B V D D E V S** Dissert. de Cultura Ingenii Cap. I. §. 1.

** de Fin. Libr. III. n. LXVI.

omnia fieri haud possunt, nisi legibus contineatur societas. Optime igitur societas hominumque coniunctio seruabitur legibus.

Ex duplice autem fonte leges ducuntur, natura scilicet, & statu ciuitatum. Quorum altera Deum ipsum auctorem adiutoremque habet; alter voluntate hominum, & consensu nascitur. Ex illa leges naturae, seu rationis; ex hoc ciuiles oriuntur. Atque haec quidem utræque ad unum eundemque finem pertinent, communem scilicet viuendi rationem.

Hominem cum iure naturali, tum ciuili teneri ex eo clarum est, quod nemo mortalium est, qui se imperio Dei subducere ausus fuerit, nisi cui sana mens non est.** Quo quodsi sub imperio sumus, omnes etiam illo ac singuli legibus Dei adstringimur. Si ius naturae nos sibi certa deuincit obligatione, fieri non potest, quia eadem sit vis iuris ciuilis. Ciuale enim ius non est nouum, sed oritur ex naturali.***

Quamvis vero iure naturali pariter, ac ciuili obstrictos nos videamus atque obligatos, vt omnia officiorum genera, quæcunque a nobis proficisci possunt, ad colendam societatem benigne liberaliterque conferamus; videre tamen licet, non suum quemque negotium rite semper feliciterque agere. Nunc enim gloriae cupiditas.

* Omnes omnino actiones hominum liberas subiectas esse legibus, et quidem actiones ciuium legibus naturalibus æque, atque ciuibus; actiones autem principis non quidem ciuibus stricte sic dictis, tamen naturalibus, fusius probat Celeb. D. AVG.
FR. MÜLLER Iur. Nat. et Gent. Cap. 14. § 4. et C. 16. § 6.

** TH. HOBBES de Ciue Cap. 15. § 2. et Leviath. cap. 31. negare videtur, atheos diuino imperio subditos esse, sed non desunt, quæ responderi queant.

*** Non nescio, dari leges hypotheticas, sed vid. quod apud V. L. BIANVM l. 6. ff. de I. et I.

peditate & honorum contentione abducitur homo; nunc auaritia, nunc voluptatibus maiores partes animi ab officio detorquentur.

Quæ cum ita se habeant, & tamen saluam se tueri res publica non possit, nisi suas quiske partes agat, caueatque, ne alteri quid iniuriæ afferat, necessitas vrget, vt ineant rationem homines, reperiantque viam, quemadmodum in rebus contrahendis contractisque, & promissis ac promittendis, & communicandis, & disceptandis, & diiudicandis, & quæ sunt eiusdem generis, fides æquitasque seruetur. Natura enim hominum adeo depravata nunc est, & in omnem iniquitatem prona, nisi adhibita vi, ab aliorum injuria nos vix ac ne vix quidem defendere queamus. Cogimur itaque ad vim non nunquam transire, si alia ratione aliorum maleficia reprimi non possunt. Atque æquitas huius remedii magnitudine periculi æstimanda est.

Remediorum autem, quibus vi ad officia adigi homines queant, sunt duo genera. Alterum est in extensis, in notis censoriis, in mulctis, in vinculis publicis, in suppliciis. Alterum conscientia hominis continetur. Cuius profecto vim insignem, nisi quis plane sit lapis, negare nemo potest.*

Remedia, quæ dixi, externa, eo non semper valent, vt quem speramus, fructum percipere & condere liceat.

Sunt

* Contra eos, qui vim conscientiæ, atque adeo ipsam conscientiam affectant esse nullam, præclare BV D D E V S, his verbis vsus: Vnusquisque hominum hoc ipso, dum rationem seu intellectum habet, hoc est, homo est, habet etiam facultatem de actionibus suis iuxta legem iudicandi. Quæ facultas, licet aliquando lateat, et hoc sensu conscientiam non habeat, non tamen extingui aut amitti potest. Institut. Theol. Mor. P. I. C. I. Sect. III. §. 3.

Sunt enim, qui, metu coacti, viros bonos simulant, omniaque largiuntur. Data vero facultate, contra faciunt, seque suum egisse negotium putant, si non facere cuiquam videantur iniuriam palam. Id autem tantum abest ab officio viri boni, vt nihil magis ipsi possit esse contrarium. Conscientia igitur in consilium nobis adhibenda est. Vis enim eius, teste **TULLIO**,^{*} tanta est, vt non timeamus, qui nihil commiserimus, & pœnam semper ante oculos versari putemus, qui peccauerimus, quare nulla efficacior res sit a maioribus excogitata, quam iurisiurandi religio.

Vi conscientiæ, vt remedio interno, compellere aliquem, vt officium, quod alteri debet, agnoscat, & metu diuinæ vindicationis, ne quid in eo peccetur, ex animo riteque præstet, idem est, ac conscientiam alicuius, vel mentem testari, aut quod **ICtis** dicitur, *einem etwas in das Gewissen schieben*. Quod si vero is, cuius conscientiam imploramus vel testamur, verbis profiteretur veritatem, præstat eadem ipsa re iusiurandum.

Est itaque iusiurandum affirmatio religiosa, qua, vi conscientiæ, officii partes agnoscimus, idemque rite præstare promittimus, & nisi præstemus, Deum in nos vindicem deposcimus.

Mittimus, ne longiores simus, iurisiurandi genera & diuisionem,^{**} atque ex eo iusiurandum vindicem flagitat omniscium hominumque recessus intimos scrutan-

B tem,

* M. T. CIC. pro Milone. it. de off. Libr. III. Cap. XXXI.

** Iureiurando vtimur vel ad affirmandam rem præteritam, vel præsentem, vel futuram. De præteritis et instantibus assertoriis; de consequentibus seu futuris permissorium dicitur iusiurandum. Fusius PUFENDORFF de L N. et G. lib. 4. c. 2. §. 20. seqq.

tem, & omnipotentem, qui periuros punire queat, videmus, per solum Deum iurari posse.*

Quod denique ad iurisiurandi usum attinet, qui est, ut veritas fidesque inter homines stabiliantur, latius patet eius ratio, quam ut plura hoc loco persequi possimus, quare ne in rebus iam satis notis multi videamur, ad ea potius progrediamur, quae maxime attingunt iurisiurandi religionem. Sunt enim, qui nimis callidi, & ad fraudem acuti, quod iurant, non ex animo, sed, quod aiunt, cum reservatione mentali, iurare volunt, adhibentque, ad periurii excusationem, falsam & malitiosam rerum verborumque interpretationem. Sed quoniam ita, duce iurisiurandi natura, comparatum est, ut iuraturus & officium ante agnoscat, quam iurare possit, & officii eiusdem religione conuictus sit, non obscurum est, non minus aberrare a vero, qui dolose iurari putant posse, quam qui iuriandum quodque, siue dolo, siue metu, siue furore, siue quocunque fit genere praestitum, volunt esse seruandum.** Nisi enim adest, quod agnoscamus, officium, & cuius religione teneamur, qua fieri ratione posset, ut officium, quod abest, praestaturi promittamus? Neque etiam, ex illo satis trito, *Iuriandum nouam producit obligationem, sed obligationi,*

* Quae de Socrate et Zenone legimus, quorum prior per canem suum et anseres, alter per cappares iurasse dicitur, recte refert PVFENDORFFIVS cum Appollonio Thyanæo ad ioca.

** Ο παντος GROTIUS, vir ceteroquin κερικωτατος, cuius supra de iureiurando sententiam vidiuius, Ciceroni vituperationi esse putat, qui velit, periurium non esse, si prædonibus pactum pro capite pretium non offeratur, ne si iuratum quidem sit. GROTTI Ius P. et P. lib. 2. p. 15. §. 16. Cui tamen sic recte occurrat PVFENDORFF. Impossibile est, Deum velle, ut ego innocens me bonis meis spoliem, easque in impium nebulonem conferam, ut ille gratis sceleratus sit. I. N. et G. I. 4. c. 2. §. 8.

gationi, ante iuriandum existenti, accedit. Ex quo facile colligitur: illud iuriandum seruandum non esse, quod furiosi, mente capti, impubes, metu coacti, ac quae sunt huius generis, præstiterint.

Atque etiam eiusdem generis est iusurandum, quod
dolo elicetur. Si enim qui iurat, officium, quod præ-
standum exigit alter, ignorat, nulla certe religione ob-
stringitur iuratus, quia, quid agatur, nescit. Id autem
si nescit, nec alterius mentem fallacem diuinare quis-
quam potest, sua quadam necessitate errat. Errans vero
inuitio similis habeatur. Quippe quæ sponte facimus,
aut natura fiunt, aut electione. Non quidem natura
nos impellit, ut fallaci iuremus, & quis ei idem data
opera faciat? Ergo certe, qui dolo deceptus iurat,
iurat inuitus & errat. Qui denique errat, non consen-
tit, quoniam secundum illud ICTORUM, *error non habet*
consensum. Quare commode de eo SETSERVS, cum
dolus, inquiens, vel fraus intercedit, tum quis decipitur
potius, quam paciscitur.

Quæ iurisiurandi ratio cum ita sit comparata, ut ex eiusdem natura effici cogique possit, iusjurandum dolo extortum per se irritum esse ac nullum, hoc nobis agendum erit, vt idem exemplo quodam Scripturæ S. affe-ramus. Esse autem huiusmodi putamus, de quo memoriæ prodidit scriptor sacer Iosua Cap. IX. 3. - 27. Cuius summa, ne longi simus, eo redit: Gibeonitæ, a celebritate loci Gibeon sic dicti, ciues regionis Canaan, constanti fama, omniumque sermone virtute populi Ebræi terrore panico magis perculti, quam certiores facti, imminentि omnium interitus, obitusque periculo occurrendum mature censebant. Obuiam mittunt eo

B 2 cons.

* IER. SETSERV'S de Juram. Lib. I. Cap. XXIII. n. 3.

consilio Israelitis legatos, qui pacem peterent cum his mandatis: Gibeonitis esse nationem exteram, quæ incolat extra fines Canaan, quare si videretur Ebrais pacem petitam fœdusque initum firmarent iureiurando.*

Omnis de fœdere hocce, eidemque adiecto iureiurando triplex erit quæstio. Vnum genus est, quod versatur in dolo Gibeonitarum: alterum positum est in iureiurando Israelitarum, num ex eorum partibus iure riteque præstari potuerit: denique exponemus de eo, quid fas iustumque sit circa iurisiurandi eiusdem religionem, an Iosua iusiurandum ratum antea religiosumque infregerit vere, nec ne?

Quanquam in rebus contrahendis tollenda omnis fallacia sit, nihil minus tamen usu venire solet, ut simulatio & dissimulatio inter contrahentes intercedat. Pacem Gibeonitarum petitam, &, quod ea nititur fœdus, cum Israelitis percussum, eiusdem esse generis, res ipsa declarat. Tantum enim abest, ut Gibeonitæ significauerint, qui sint, ut a vero discedere, seque simulare gentes, extra Canaan habitantes, satius fibi visum fuerit. Id quod ut magis appareat, in exquirendis fœderis conditionibus, fraudis nefariam scelus maxime patebit.

Sunt autem conditiones fœderis, quas Ebrais feruaturi condicunt; suaque sponte offerunt Gibeonitæ: I.) se se præstaturose esse, quod promittant, ut habitent extra fines

* Quamvis pleraque foedera apud Israëlitas iureiurando corroborata legimus, non tamen dicam, omnia eiusdem generis esse. Rerum enim, hominumque et temporum non nunquam habetur ratio. Quare etiam hoc loco iusiurandum a Gibeonitis magis petitum, quam a Iosua sua sponte additum iudicamus, faciebat enim ad Gibeonitarum securitatem, fœderisque stabilitatem.

fines Canaanorum.* II.) Si contra dicerent, ac essent, se in Israelitarum futuros esse potestate. III.) His addit Iosua: ne vñquam in animum inducant eandem cum Israelitis incolere terram. IV.) Fœdus irritum sit, si fidem fallerent Gibeonitæ.

Priorem autem eamque principem huius fœderis conditionem, tam procul remotam esse a veritate, ut nihil supra esse possit, quis non videt, Iosua enim ubi die tertio post ad Gibeonitarum oppida peruenit, eosdem vicinos, seque ab illis deceptum cognouit. Quia in fraude tam clara, tamque testata cum plura persequi prohibeat festinatio, ad iusurandum ipsum, fœderi huic ab Israelitis additum pergimus. Namque infracta ea prima fœderis conditione, totum corruit fœdus.

Cadit nunc in disceptationem fœdus & præsertim iusurandum Israelitarum, num ex partibus eorundem absolutum, &, ut ita dicam factum testimoniū, integrumque fuerit? Nisi enim iure inire potuit Iosua fœdus cum Gibeonitis, iusurandum omnino ipsum, fœderi adiectum irritum est ac nullum, quippe quod per se nullum producere obligationem potuit, nisi eadem ex fœderis profiscatur religione.

Erat, fateor, inter leges Dei forenses easque particulares, Genti Ebrææ latae, etiam hæc de occupanda regione Canaan, Israelitis seruanda lex: *Ne cum eis incolis, quos ex Israelitarum conspectu exterminuturus sit Deus, fœdus percutiant.* Eandemque legem terite.

B 3 ratam

* Semper sibiique constantes affirmant Gibeonitarum legati, sese nationem esse exteram, idque probant pane mucido, laceratis calceis, atque etiam itineris amplitudine. De magnitudine autem Canaan, vide quæ sunt apud IOSEPHVM; Adrichomium Theat. terræ. S. Bachart. Phal. et Canaan; H. RELAND. Palæstin. c. CELLAR. notitia orbis antiqui Tom. II. etc.

ratam legimus Exod. XXIII. 32. Cap. XXXIV. 12. & Deut. VII. 2. Mandatum hocce populo Ebræo datum, vtque penitus animis infigeretur, tertium a Deo propositum, prius interdicendo Israelitis præcipit, ne fœdus cum incolis Cananæis ineant, & postea etiam ferio & speciatim Israelitæ iubentur, populum Cananæum patria pellere, remque illorum publicam euertere prorsus atque delere. Id quod si cogitamus, factum Iosuæ, quo non solum cum Gibeonitis, ciuibus regionis Ca-naan fœdus pereussit, sed etiam iureiurando idem firmari concessit, prima quidem fronte adspectum habet quen-dam insignem & illustrem, quasi ab Israelitis, autore & duce Iosua, lex Dei infirmata sit atque neglecta. Atque ex eo esset videre, Iosuam neque iure inire potuisse fœ-dus, neque fœderi addendum fuisse iusurandum.

Sed omnis de ea re duplex est quæstio. Primum quæritur: num fuerit tale mandatum, cuius vi omnes omnino gentes Cananææ exscindendæ sint? Alterum quæstionis genus, an sit ita a Deo immortali pronun-ciatum, vt nec rei, nec personæ cuiusdam habenda sit ratio? Non desunt, qui priorem tuentur sententiam, hique cum BARBEYRACIO* subtilius disputare vi-dentur. Quippe ex mandati repetitione triplici vim eius intelligendam esse volunt. Itemque Cananæis de-letis, omnem regionem Israelitis probant patuisse: sin minus, summum fuisse perieulum, ne ciues Cananæi, pristinæ libertatis memores, res perniciofissimas in ciui-tatem inducant; seditionem, atque in expiabiles sacrorum veterum religiones, & quæ sunt alia. Sed ad hæc quid responderi possit facile erit in promptu, & eadem diluta iam

* IO. BARBEYRACIVS ad Pufendorf. de I. N. G. lib. 4. cap. 2.
§. 27.

iam pridem sunt a Grotio, Clerico, aliisque.* Potior mihi ac firmior ea videtur sententia, qua mandato illo diuino conditionem hanc inesse puto: *Nisi gentes Canaanæ se suaque in potestatem populi Ebræi conferrent, legibusque Ebræorum se se subiicerent.* Idque promptum est ac propositum ex Deut. XX. 10. Num. XXI. 21. seqq.

Præter ea adduci aliae rationes possunt, es quibus idem facile perspiciatur. Nam præter illud satis tritum, Israëlitis vel maxime explendum: *Parcere subiectis, debellare superbos*, adeo ne aditu quidem sacrorum Iudæorum gentes excludi potuisse, non sumus nescii.** Fac denique conditionis supra dictæ non haberi rationem, fœdus tamen mandato Dei non repugnat. Mandati enim hæ sunt limites: *Vt ciues tantum regionis Canaan, non vero omnes terrarum gentes delendæ sint, quæ se suaque tradere*

* H. GROTIUS de I. B. et P. L. 2. c. 13. § 4. 10. CLERICVS ad Ios. IX. 18. HOCHSTETTERVS in Coll. Pufendorff. Exerc. 7. §. 28. vid. 10. PR. BVDD. Institut. Theol. Moral. P. II. Cap. III. Sect. V. §. XI.

** Dicebantur, qui nouissime sacris Ebræorum initiantur Proselyti. Quorum alii erant נָרִי שָׁעַר Proselyti portæ vel נָרִי צְדָקָתָה Proselyti aduolantes; alii vero נָרִי מֹשֶׁעַ Proselyti iustitiæ. Priores abiurabant Idololatriam et seruabant vna cum lege naturæ septem sic dicta præcepta Noachi, ipsum tamen intrare templum non debebant. Horum in numerum referre volunt Naëman illum et Cornelium centurionem. Proselyti vero iustitiæ baptizati ac circumcisi, plenisque imbuti erant sacris, atque habebantur instar Iudæorum, tales erant Edomitæ, Idumæ etc. vid. PRIDEAVX Part. II. libr. V. p. m. 380. seqq. Baptismi Proselytorum testimonium exhibit MOSES MAIMONIDES in Isch. biab. cap. 13. quod cum versione videre est apud SELDENVM lib. I. cap. 3. Imo inter Ethnocos Arrianus huius ceremoniæ mentionem facit, οταν, inquiens, αναλαβη το παθος το τη βεβαυμενου και ηρημενου, τοτε και εσι τω οντι, και καλειται Ιουδαιος. Epict. lib. I. cap. 9.

tradere populi Ebræi potestati nolint. At vero Iosua iniit fœdus cum Gibeonitis, non ciuibis Cananæis, sed natione extera, ex quo magis apparet, Iosuam percussisse fœdus, virum integrum religiosumque.

Vltima eaque tractationis pars restat, quæ nostram de iureiurando, quod disputamus, sententiam proponet, eandemque & probabit & vindicabit ab obiectionibus quibusdam grauioribus. Ut tamen recte ac ordine progrediamur, in primis attendamus conditiones, quibus satisfacere Iosua, vi fœderis, pollicitus est, quasque ex plere Israelitæ iurisiurandi religione tenebantur.*

Sunt autem conditiones, certe principes, quas sibi seruandas tuendasque addito iureiurando promittunt Israelitæ: I.) ut Gibeonitæ vi fœderis in societatem adsciscantur. Ios. IX. 6. - II.) Ut polleant Gibeonitæ libertate integra. Atque ea libertatis integritas ex ipso iure societatis fœderisque natura oritur. Quia enim necessitate coacti subiicere sese Gibeonitæ potestati Israëlitarum debuissent, a quibus tanto quasi locorum inter uallo remoti volebant videri, ut post longum denique iter ad eorum fines perueniri posse, affirmauerint? Et si denique ad eos usque progrederentur, tum, vi fœderis, non hostes aut victores accederent, sed socii potius.

Nul-

* Ita iisse quidem Iosuam fœdus cum Gibeonitis, satis liquet ex Cap. IX. Ios. v. 15. nec tamen eundem iurasse, facile dicam. Neque enim verbum quidem de iureiurando a Iosua præstito legimus, neque verba ipsa, quibus d. c. vers. 15. solis Israëlitis tribuitur iusurandum, in dubium vocare, illa vrget necessitas. Id quod quamuis ad rem nostram nihil pertineat, attamen *ως εν ταξιδιῳ* breuiterque perstringere placuit, propterea quod a plerisque scriptoribus, qui huic rei impenderunt operam aut neglectum, aut iusurandum, non Israëlitis, sed Iosuæ tributum fuit. Nos vero si insequentibus ex usu et plerorumque mente loquimur, sit, ne difficiliores videamur aut obscuriores.

Nullius certe seruitutis, quam subirent Gibeonitæ, nullius potestatis Israelitarum in Gibeonitas fit mentio. Nec etiam Israelitis potestatem imperiumque in gentes extra Canaan Deus promiserat. Sunt autem Gibeonitæ, ex eorum certe data fide, gentes extra fines Canaan inhabitantes habendi, & tales crediti in societatem adsciscuntur, ex quo intelligitur, ne postulare quidem potuisse Iosuam, vt se traderent in potestatem sui suorumque seruitutem. Atque idem ex eo magis perspicitur, quod post cognitam demum fraudem abripiuntur Gibeonitæ in seruitutem; si iam antea vi fœderis facti agnouissent in se imperium Israelitarum, deduci sane postmodum, dolo comperto, non debuissent. Addamus denique, quam ipſi subiiciunt Gibeonitæ conditionem fœderis, sese scilicet tum fore in Israeliticæ gentis potestate, si fidem fallerent, nec vere essent, quos se dicerent. Iof. IX. 8.

Hæc nobis posita, vi fœderis salua libertas Gibeonitarum, cum tam prompta sit, tamque perspicua, in eam me traxit coegeritque sententiam, Iosuam infregisse & fœdus suum, cum Gibeonitis percussum, & fœderi adiectum iusiurandum. Ad probandam autem eandem, quæ mihi videtur, sententiam, haud puto necesse mihi esse, vt longius abeam, cum Gibeonitarum seruitus, in quam ab Israelitis deieicti sunt, nemini possit obscura esse, nisi qui huius rei historiam plane neglexerit. Sunt enim pronunciati infelices, vt nec vñquam defint ex iis, qui seruant, & lignatores ac lixas agant fani. Hanc autem seruitutem miserrimam, in quam coactos videmus Gibeonitas, si animaduertimus, & ad libertatem fœdere pactam respicimus, quis est, qui non intelligat, tantum abesse, vt servitus fœderisque

C

leges

leges sibi consentiant, vt nihil possit esse magis contrarium?

Rupto autem fœdere, nemo dubitat, quin ipsum iusurandum fœderi additum fuerit infraustum. Ea enim lege eoque consilio adiici voluerunt Gibeonitæ iusurandum, vt ad seruandam fidem de incolumitate libertateque datam, Iosua tanto sanctiori teneretur religione, * quanto infeliciorem rerum euentum præfigiebat fraudis temeritas. Postea vero, quam Iosua libertatem fœdere pactam firmatamque iureiurando, non solum non concessit Gibeonitis, sed in seruitutem potius eosdem compulit, ea ipsa re infregit etiam rupitque iusurandum.

Ne tamen res confidentius disputata, aut durior videatur mea, de viro sanctissimo, libri scriptore, sententiā, qui viro Θεοπνευτῷ imponere factum non erubuerim, quod nemo ciuis bonus non perhorrescat, cogitandum nobis erit, Iosuam non quicquam in eo peccasse, quod aut ab viri integri probitate, aut hominum ratione, aut denique legibus Dei abhorreat, nisi religionem nobis, male religiosam, fingere ex iureiurando velimus. Si enim dolo deceptus nulla tenetur iurisiurandi religione; ** id quod supra expositum est fusius,

non

* Quæ prima in re publica a Deo instituta de iureiurando fuerit sanctio, quine ritus, data opera edisserit c. G. STEMLER dissertat. de iureiur. secund. discipl. Ebr. vbi MAIMONIDIS, RACOB. LYDII, IO. NICOLAI aliorumque scripta doctissima cit. reperies.

** Vno fere omnium ore et ICtorum optimi quique et Theologorum probatissimi in eo consentiunt, vt iusurandum dolo elicitum negent seruandum. PUFENDORF I.N. et G. Libr. 4. c. 2. Celeb. D. MULLER Natur- und Völcker-Recht. Cap. 4. §. 9. seq. SETSERVS lib. I. Cap. XXIII. aliisque. Ex Theologis

gis

non certe erit, quod Iosua dolose circumuentus ab Gibonitis, ceteris mortalium inferior, eoque iure, quo omnes vtimur, minus dignus habeatur. Labefactato enim fædere ac rupto ab ipsis Gibeonitis, dolo interpolato, & fœderis & iurisiurandi Iosuæ corruit obligatio. Sublata autem obligatione, quid est, quare non ipsum iurisiurandum iure quodam suo infirmatum esse credamus? Gibeonitæ cum non essent, quos esse pacem fœderisque societatem petentes, sese simulauerant, sunt ipsi omnino in causa, ob quam nec fœderis societas, nec societate nixa libertas, dari potuit, nisi derogare Iosua non nihil voluerit de lege diuinitus data, Deut. VII, 2. qua omnes singulasque gentes Canaan inhabitantes, imperiumque gentis Ebrææ ferre recusantes, patria pelle-re funditusque euertere, serio iussi erant Israëlitæ. Fraudulenter egisse Gibeonitas, quis dubitat? Quæ autem ratio, quæ sana mens iubeat fraudulentos, impios, nefariosque homines tueri. Nonne scelere adstricatus habeatur, qui fraudem alterius velit ex iure iurando fulcire? Omnem autem humanitatem exuisse videatur, qui iurisiurandi vim eo detorqueat, vt iura diuina atque humana polluere propterea nullus dubitauerit, quod iure iurando ad facinus se obstrinxerit. Omnium omnino commune præsidium oppugnaretur hoc modo, omnisque disturbaretur vitæ societas.

Et si quæ hactenus dicta sunt, ita putem esse comparata, ut integratatem Iosuæ in eo, quod dolosum Gibonitarum fœdus eique additum iuriandum infrin-

C 2 gere

gis audiamus BUND EVM Institut. Theol. Moral. P. II. Cap. III.
Sect. V. §. XII. Qui, eadem, inquit, ratio est iuramentorum,
ac pactorum vbi obligatio cessat in pactis, cessabit etiam in iu-
ramentis. Vbi exempli loco addit hoc idem nostrum Gibeo-
nitarum iusiurandum et factum.

gere habuerit necesse, lege, natura, bono et æquo absolutam sistere videantur; attamen ad dubia quædam, quæ nobis in contrariam partem obiificantur, breuiter erit respondendum. Sunt autem fere sequentia:

Dub.I.) Fundamentum tractationis positum est in societate hominum. Coniunctionem hominum optime seruari legibus, dictum est. Ad leges societatis pacta omnino & fœdera pertinent. Pacta siue sint nuda, siue iureiurando aucta, necessario seruanda, ius naturæ postulat. Leges naturæ nec dolus, nec fraudes hominum tollunt. Ex his igitur Iosuæ fœdus cum Gibeonitis seruandum fuisse, existimetur. Sed obiectionis huius haud ita difficilis erit responsio, si cogitemus, quæ supra de fœdere & iureiurando vitioso dicta sunt. Fœdus enim vitiosum quam maxime abhorret a ratione, natura & religione veri adeo, ut per insidias circumuentus misereque deceptus potius, quam fœderis socius, habeatur, cum quo vitiouse voluerimus pacisci. Huiusmodi fœdus vitiosum, non solum respuit fœderis naturam, sed subit etiam fraudis & vitii rationem, quare etiam ad fœdera eaque integra, quæ vi iuris naturalis tuenda sunt, non potest referri.

Dub.II.) Secundo loco, quod nobis oppositum sit, affertur, quod Iosua non imposuisset Gibeonitis seruitutem, nisi ipsi sibi Gibeonitæ, propter dolum editum, fuissent in causa, quare etiam ipsi infirmassent Gibeonitæ iusiurandum & fœdus, non Iosua. Ad quæ breuis facilisque erit responsio, non quæri hoc loco, quis ex contrahentibus primus læserit fœdus, id quod omnino Gibeonitis eorundem tribuit dolus, sed hoc potius agi; num Iosua vere contra fecerit, quam erat pacto & conuentu

uentu iureque iurando sancitum. Idque exploratum est atque propositum ex imposta seruitute.

Dub. III.) Finis & scopus foederis a Gibeonitis oblati atque initi erat vitæ rerumque incolumitas. Eandem etiam detecta iam cognitaque fraude a Iosua impetraverunt. Plebs enim Israelitica cum, fraude Gibeonitarum incitata, eo deueniret iracundia, ut vniuersam Gibeoniticam gentem euertendam diripiendamque postulauerit Ios. IX, 18. Idem nec voluit Iosua, nec fecit. Quid, quod? ab iniuria hostium Gibeonitas defendit Iosua Cap. X, 7. sqq. ex quo magna videtur esse significatio, pie recteque seruasse Iosuam foedus cum Gibeonitis percussum. Nec tamen hic defunt, quæ respondeamus. Namque ad infirmandum foedus non quidem requiritur, vt omnes eius singulæque partes sint infraæ, sed sufficit, si quicquam detrahatur, quod foederis integritatem attingat. Hoc autem loco ad foederis integritatem non modo vitæ conseruatio pertinebat, sed etiam libertas, quæ posterior, vbi seruitutis iugo fuit commutata, ea ipsa re læsa est & fraæta foederis integritas.

Dub. IV.) In contrariam quoque partem nobis iniiciantur ipsa Iosuæ verba, quibus affirmari videtur, duxisse sibi Iosuam religioni, fœdus cum Gibeonitis initum infringere. Israelitæ enim cum flagitarent, vt Gibeonitæ exscinderentur, hominesque nequam darent pecnam fraudis, potentibus idem præcise denegauit Iosua, hanc addens causam: quod Gibeonitis per Iouam, Deum Israelitarum, populi primores iurassent. Atque hæc eadem ratio ter repetitur Ios. IX. 18. 19. 20. Scrupulus hic iniectus nodus videretur Herculeus, nisi,

C 3

quod

quod certe mihi visum est, videre liceret, causam quidem aliquam a Iosua fuisse prolatam, ob quam fœdus Gibeonitis ea ex parte sit seruandum, ut viui conserventur, eandem tamen causam fuisse remotiorem. Quodsi enim eam vim iurisiurandi esse, credidisset Iosua, vt omne omnino fœdus, cui additum sit iuriurandum, propter idem solum adiectum iuriurandum sit seruandum, qua fieri ratione potuisset, vt nulla iurisiurandi ratione habita, huius ipsius foederis, iureiurando muniti, partem & conditionem aliquam infirmare non dubitauerit, &, loco libertatis promissæ, imposuerit seruitutem? Quæ si accuratius diligentiusque cogitemus, certe non omnis deneganda videatur fides sententiæ, qua putamus, eam dedisse Iosuam responsionem, quæ esset captui hominum accommodatio.

Erat

* Neque a dignitate Iosuæ alienum, neque scripturæ S. autoritate indignum esse, arbitror, qui Iosuam ad captum hominum locutum esse, dixi. Scriptores enim factos non nunquam ad nostram intelligendi facultatem loqui, nec insolentius est, nec rarius. Si suo enim modo, si suæ essentiaæ sermone, vt ita dicam, proprio, si loqui nobiscum Deus, vt Deus, velit, quis eum capiat homo? In mysteriis sacris id videre est. Sed quis ea homo intelligat, aut in nostram intelligentiam cadere credit? Intelligi hoc idem posse existimo ex vniuersa salutis œconomia. Si Deus sui manifestationem largitur, fieri id videntius, interposita rerum nostrarum similitudine. Sic sibi Deus oculos, manus etc. tribuit; Sic per vniuersam salutis æternæ manifestationem innumera huiusmodi reperimus exempla. Inter ea quidem, quæ αὐθεωποταθως et πνονομικως dicuntur, et inter nostram, quæ agitur, locutionem intercedere discrimen, nou nescio, eodem tamen discrimine, nobis visam, Iosuæ accommodationem ad captum de iureiurando vulgarem, plane tolli, dubitem. Hanc certe nostram hac de re sententiam subiicimus interpretationi locorum Eccles. I. 5. et Ioh. X. 12.

Erat Israelitis mandatum, ne gentes, quæ armis pos-
fitis, ad eorum fidem configurerent, seque eorundem sub-
iicerent potestati, interficiantur aut deleantur, Deut.
XX. 10. Num. XXI. 21. Hoc idem bono erat Gibeo-
nitis. Namque vi fœderis hoc pæcti sibi erant, ut sint
in Israelitartim potestate, si fallerent. Fefellerunt au-
tem, atque eadem ipsa re Israelitarum in potestatem
se tradiderunt. Ex quibus coniicitur, Gibeonitas,
quamvis non fuerint, quos esse dicebant, nec tamen
necari, nec excindiri debuisse. Atque adeo dolo post-
modum cognito, ipsi se Gibeonitæ potestati Israelita-
rum subiectos fatentur. Ecce, inquiunt, coram Iosua,
nos in tua sumus potestate, vtere nobis tuo arbitria.
Nisi igitur adfuerisset mandatum diuinum; cuius religione
adstrictus fuisset Iosua, necare atque delere Gibeo-
nitas eodem suo iure potuisset, quo eos seruitutis dam-
nauerat. Ex his autem perspiciatur facile, responsio-
nem Iosuæ, negantis, Gibeonitas esse delendos, idque
propter iusiurandum, eo redire, ut habenda sit ratio
obligationis ex mandato Dei ortæ. Eam enim obli-
gationem agnoscens Iosua, præstare eandem iurei-
rando erat pollicitus. Quæ si accuratius contemple-
mur, non erit ita obscurum, Iosuam affirmantem,
propter præstitum iusiurandum usuram lucis esse con-
cedendam Gibeonitis, indicasse causam remotiorem
eamque intellectu faciliorem, propiorem tamen si-
mulque altiorem, quam vt a plebe capi statim potuerit,
fuisse mandati diuini religionem.

Dub. V.) Quæ ultimo denique loco ab exemplo
Saulis regis, nobis obiificantur, iisdem eodem modo,
quo proxime vidimus, occurri posse speramus. Quod
si enim

si enim quæratur, quid peccare Saulus hic, post hæc tempora gentis Ebræo rex, potuerit, qui Gibeonitarum & vitam & memoriam voluerit delere, II. Sam. XXI. 2. si propter Gibeonitarum dolum iurisitandi religio fuerit nulla? Respondemus, negari non posse, omnino peccasse Saulum, eiusque atrocitate adeo prouocasse iram Dei, ut hæc ipsa clades, a Saulo Gibeonitis illata, causa fuerit, quamobrem omnem gentem Israeliticam hac Deus pœna affecerit, ut Davidis regis temporibus tres annos continuos Israelitæ fuerint fame exagitati. At nullo, fateor, modo mihi se probant conatus regis perdit. Ipse enim Deum immortalem nec venerans nec verens, non solum in nullo erat numero, sed etiam mandatum Dei de delendis gentibus Cananæis latius patere, ac licebat atque oportebat, proiecta quadam & effrenata sanguinis profundendi audacia raptus, affectabat, nulla nec officii, nec temperamenti, ab ipso Deo additi, ratione habita. Cogitandum Saulo fuisset de adiecta mandati conditione Deut. XX. 10. Num. XXI. 21. Saulo enim rege idem seruitutis iugum trahebant Gibeonitæ, quod erat Iosuæ temporibus impositum.

Qualemque hanc opellam benignioris lectoris iudicio commendamus, qui ingenium eorum & dignitatem suspicimus, a quibus discere meliora speramus.

F I N I S.